

No. 675. 1383. 4. März.

*B. Nicolaus eignet dem Capitel Geldzinsen zu Kaufbach bei Wilsdruf, die Balth. von Maltitz zu seinem Jahresgedächtniss mit Auflassung der Lehn demselben geschenkt hat.*

In nomine domini amen. Nicolaus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis praesentem paginam intuentibus gaudium, pacem et salutem in omnium salvatore. Dignum et congruum etc. Hinc est quod cum strenuus Balthazar de Malticz, devotus cliens et armiger nostrae diocesis, de censibus suis habitis in villa dicta Koufbach iuxta Wylandisdorf sita sex solidos grossorum Fribergensis monetae reddituum annuorum, quos quidem census infrascripti rustici in infrascriptis terminis singulis annis perpetuis temporibus et eorum successores de mansis et bonis infrascriptis solvere tenebuntur, videlicet Friczko Birkenhayn de quartali unius mansi tres grossos Martini et tres grossos in festo Walpurgis, Johannes Schonenberg de uno manso et uno quartali decem et octo grossos in festo Martini et decem et octo grossos in festo Walpurgis, Kunczko Schulteti de medio manso sex grossos Martini et sex grossos in festo Walpurgis et Johannes Riche de medio manso et medio quartali novem grossos in festo Martini et novem grossos in festo Walpurgis perfecta donatione inter vivos honorabilibus viris dominis . . praeposito, . . decano et capitulo ecclesiae Misnensis ad usum infra scriptum pro animae suae et progenitorum suorum salute liberaliter et realiter dedisset, tribuisset ac donasset, et ob hoc eosdem census ac bona praefatus Balthazar, nec non Petrus de Malticz eius patruus coniunctim et divisim pro se et fratribus ac aliis suis quibuscumque coheredibus ad manus nostras sponte et libere, nullis coactione vi vel metu intervenientibus resignassent et omni iuri et actioni, aut cuiuscumque legis canonis consuetudinis vel privilegii auxilio, quae sibi et suis heredibus quocumque tempore competere possent in censibus et bonis supradictis vel in qualibet eius parte, et per quae contra praemissas donationem et assignationem iuvare se valerent vel contra ipsas venire verbo vel facto, in toto vel in parte voluntarie renuncciassent, salva ipsis dumtaxat in praefatis bonis reservatione omnium, quae in litteris praelibatis dominis . . praeposito, . . decano et capitulo per eosdem traditis continentur, praefatusque Balthazar nobis humiliter et devote supplicasset, quatenus praefatos census, redditus et bona — ad finem et effectum infrascriptum donare — et unire gratiose dignaremur: nos igitur Nicolaus episcopus Misnensis — praefatos census, redditus ac bona — ad finem et effectum, quod de censu eodem in ecclesia Misnensi distributiones pro anniversario obitus sui die, postquam de hac luce migraverit domino sic volente, in ipsa ecclesia nostra Misnensi cum vigiliis et missa defunctorum perpetue peragendo secundum ecclesiae ipsius consuetudinem inter canonicos et vicarios ministrandas ordinare et disponere possit vel ipsi domini possint, prout et quando placuerit et saluti animae suorumque progenitorum melius videbitur expedire, praefatis dominis — de eorundem concordia ac unanimi consensu pariter et assensu in his scriptis donamus — et unimus cum omni iure, utilitate, honore et fructu, quibus praefatos redditus ac bona